

dum Topozka omnino quasi ruere videtur, fortalitiumque Prezeka imperfectum manet, quae in maximis confiniis et ad tutionem Regni summe necessaria locata sunt: vniuersae pertinentiae dictae Abbaciae cis et ultra Colapim existentes ad praefatum Oppidum Topozka et fortalitium Prezeka deputantur. Qui autem praemissa omnia adimplere negligenter, per omnia oportuna remedia compellantur.

Caeterum cum Capitulum Ecclesiae Chasmensis tam residentia, quam omnibus prouentibus per hostes fidei Christianae priuatum sit, Sigillum autem authenticum dicti Capituli apud certos Canonicos dictae Ecclesiae Chasmensis, hic Zagrabiae degentes et satis inopem vitam ducentes, pro summa necessitate iuriū Regni et nunc existat; qui Caanonici coram fidelibus Regnicolis Maiestatis Caesareae protestantes, Sigillum praefatum reddere, et se in aliena seruitia Ecclesiastica conferre volentes, quod non sine maximo detimento Jurium Regni esset: propterea supplicant Status et Ordines Regni Maiestati Caesareae et Regiae, Domino ipsorum clementissimo, quum credant in partibus Hungariae Cisdanubianis vaccare Abbatias et Praeposituras, dignetur Sua Maiestas de aliquo vacante huiusmodi beneficio praefato Capitulo Chasmensi, vnde aliquos prouentus ad sustentationem quotidianaē vitae habere possent, clementer prouidere.

Cum autem praefati Status et Ordines, fideles Regnicolae Maiestatis Caesareae, sepissime pro rectificandis metis inter Sclovoniām Styriamque et Carniolam suae Sacrae Maiestati supplicasse recordantur, et nunc supplicant humillime, dignetur Maiestas sua Caesarea et Regia, ob summam paternam clementiam erga fideles subditos suos, apud Serenissimum Dominum Archiducem Carolum Fratrem suum charissimum efficere, ut Maiestates suae vnanimi voto speciales transmittant suos Commissarios, qui huiusmodi metas inter praescripta Regna rectificare valeant, ne creberrimi tumultus inter fideles Regnicolas praefatorum Regnorum Maiestatum suarum ratione dictarum metarum oriantur, potissimum vero inter Zomzedwara, Bresecz, Mokrycza, Lypovacz et Jaztrebarzka.

Id quoque fideles Regnicolae Maiestati suae Caesareae et Regiae significandum curarunt, saepissimas contra milites stipendiarios Equites suae Sacrae Maiestatis, tam in Confiniis Croatiae quam Sclovoniae constitutos, a miseris Nobilibus Regnicolis ad Dominos Banos deuenire quaerelas: Quod praefati nonnulli milites Equites Stipendiarii, nulla habita Dei et miserae plaebis ratione, Equos ad pascua habentes, non tantum in fenibus, sed in cunctis fere mobilibus rebus potissimum miserae plaebis direptionem facere non cessant. Vnde supplicant humillime, Maiestas sua Caesarea et Regia, intellecta tam miserabili oppressione fidelium suorum, dignetur Dominis Banis simul et Dominis Vito ab Hallek et Herbarto Ausperger, Generalis Capitaneatus in Confiniis Regnorum Croatiae et Sclovoniae Locumtenenti, serio committere, vt mutua habita intelligentia, sine vltiori procrastinatione, Articulum Posoniensem Anni Millesimi Quingentesimi Sexagesimi Sexti, in talibus conclusum, nullo habito personarum respectu, reali executioni demandent, et spoliatis damnificatisque ex Stipendiis Militum satisfaciant.

Praeterea Nobiles Michael et Gregorius Herendych de Mlaka cum certis aliis Nobilibus fratribus et vicinis eorundem, in partibus transcolapinis commorantibus, lamentabili cum quaerela dictorum Statuum et Ordinum accedentes in praesentiam, retulerunt: Qualiter circa festum Beati Georgii Martyris proxime praeteritum, Wranes Jelenich ac Thomas Zeverovich, Vaivodae peditum Wzko-korum, in Merzlopolya provincia Carniolae commorantem, ac sub Capitaneatu